

nativitatem regnavit I. *Mandaucis* Arbacis Filius, si enim *Phul* Assyriorum Rex, qui contra Menahem bellum fecit, *Arbacus* fuit amicus & coætaneus, certè hujus filii Mandaucis ætas in tempora incidit Romuli. Hoc regnante, regnum Medorum seditionibus in multas lacinias discerptum fuit, quarum magnam partem Assyrii occuparunt. II. *Sofarmus*, & III. *Artycas*. At autoritas & dignitas illorum tanta non fuit, quam successorum. *Dejoces* enim veterem dignitatem restituit. V. *Diodorum Siculum*, *Cæsiam* & *Reinecc. part. 2. Histor. Jul. fol. 2 ad 13.*

§ XXIV. Apud (IV) ÆGYPTIOS biennio post nativitatem Romuli regnare cœpit I. *Bochoris Saites*, Succedens Regi Ægyptio *Zetbo*, qui annis 31. præfuerat. Hominem crudelissimum & injustissimum fuisse, scribit *Plutarchus*; existimationem tamen justitiæ & religionis adeptum, *Ælianus lib. II. c. II.* qui etiam c. 13. sub hoc rege, agnum locutum esse, perhibet, quod & *Eusebius* refert. Videtur hic *Calvisio* & *Helvico* esse *So* vel *Sua* 2. Reg 17, 2. quasi *Soites*, à patriâ *So* vel *Sa*, provinciâ Ægypti dictus, Græcis Σηώης, *Josepho* *Soa*; Sed *D. Strauch.* certius evincit, Regem *So* in scripturâ non *Bochorin* (qui ann. 41. juxta *Eusebium* præfuit) sed *Sabacum* Æthiopem esse *Brev. Chronol. c. 19. q. 3.* Hic II. *Sabacus* Æthiops, in Ægypto regnavit ann 8. & *Bochorin* vicit, captumque vivum cremavit, teste *Eusebio*, & *Herodoto*. Hunc, notante *Helvico*, prædicat *Jesaias* c. 19. 4. Ægypto crudelem tyrannum. III. *Sevechus* vel *Sebichus* successit patri *Sabbaconi*, circa mortem Romuli, ac videtur esse *Sethon* *Herodoti*, ex collatione *Berosi* apud *Josephum lib. 10. c. 1. & Jes. c. 37. 9.* Recenset *Calvisius* mox post *Bochorin* regem *Mycerinum*, & hunc post *Chepbrenem*, quod conciliare nequeo.

§ XXV. Apud (V) LYDOS in Asia rex fuit I. *Ardysus*, inter *Heraclidas* XIX. *Eusebius* regem primum Lydorum vocat, eumque 36. annis regnasse scribit. Verùm reges præcedentes in dynastia secundâ desiderantur omnes, & numerus tantùm annorum scitur ex *Herodoto*, qui summam annorum dynastiæ hujus secundæ usque ad *Gygen* 505. exprimit, & 22. reges fuisse scribit, quorum primus *Agroon*, filius *Alcai*, filii *Herculis*. II. *Alyattes* successit, & regnavit 14. annos. III. *Meles*, quem ordine secutus est IV. *Candaules*, ultimus Lydorum rex ex *Heraclidis*, qui dum vesano instituto *Gygi* uxorem